

tes non producat. Vid. Nouell. 118. cap. 3. vers. *Huiusmodi vero priuilegium.*

§. VIII.

Nam aliud, perhibent, ius repraesentationis esse ex ratione naturali, aliud ex constitutione ciuili. Illud obtinere dicitur in successione descendendum, utpote quibus vel ius diuinum naturale repraesentandi ascendentes quoslibet tribuerit potestatem. Hoc vero in collateralium successione animaduertunt. Vnde, inter collaterales, aiunt, non omni, sed certo tantum casu repraesentationi esse locum. Et vel hanc ipsam unicam repraesentationem, quae inter collaterales seruatur, etiam ex iuris ciuilibus, non diuini naturalis, principiis fluxisse. Ita sentit Strykius de Success. ab intest. Dissert. I. Cap. I. §. 68. et 69. cum plurimis aliis clarissimi nominis iurisconsultis. Ex quibus vnicum Heroldum ad testimonium citare liceat, in cuius tract. de iure repraesentationis Sect. II. Concl. 2. haec leguntur: *Est repraesentatio vel descendendum vel collateralium. Illa, quae liberis vltioris quam primi gradus ex ratione naturali simpliciter competit. Haec, quae fratrum tantum sororumue liberis cum aliis tam ascendentibus quam collateralibus concurrentibus secundum quid competit.* Mox ad verba: *ex ratione naturali;* addit: *utpote quae liberis tanquam tacita quaedam lex parentum hereditatem addicit, l. cum ratio fin. ff. de bon. damn.* Mirandum, cur Heroldus dictae legi 7. ff. de bon. damn. non iunxerit Authenticam Cod. de suis et legit. liberis, vbi ius repraesentandi in successione descendendum *ex sola naturali causa* pendere dicitur.

Diuisio iuris repraesentationis. Sitne repraesentatio in successione descendendum iuris diuini naturalis? Heroldus et alii plurimi id affirmant. Lex 7. ff. de bon. damn. et Authentica in successionem Cod. de suis et legit. liber. enarrantur,

§. IX.

Verum enimvero, vtut firmo stet iuris positiui humani fundamento diuisio iuris repraesentandi, quatenus eodem

Tam descendendum quam

C

de-